

PRAEFATIO.

Ad Euripidem recensendum cum accessissem, superstitionibus poetae fabulis perditarum reliquias addere in animum induxi, tum quia frustula illa plurimorum scriptorum testimoniis celebrata, sive ambitum spectes sive pretium, non debent negligi aut contemni, tum quia collectiones Euripideorum fragmentorum ab A. Matthiae et Fr. Guil. Wagnero paratae aequis iudicibus parum videbantur probari. itaque anno 1854 in titulo primae editionis Euripidis perditarum tragoediarum reliquias promisi. mox vero eo delatus sum ut omnium tragicorum poetarum fragmenta edenda putarem: cuius consilii quas habuerim causas, exponi vix attinet. nimirum ne dicam ceterorum quoque tragicorum reliquiis prodesse me voluisse, inprimis ut altiora molirer ea re permotus sum quod in Euripideis fragmentis haud pauca circumferri animadverteram quae nec tribuere huic poetae auderem nec detracta non desideratum iri arbitrarer. velut ad Polyidum Euripidis relatos vidimus ex Valckenarii coniectura hosce duos iambos:

μικρόν γ' ἔλεξας βασιλικοῦ σηκὸν τάφου·
διπλάσιος ἔστω τοῦ κύβου δὲ μὴ σφαλῆς.

nec dubitarunt de Euripide aut de scriptura versuum reliquiarum Euripidearum editores aliique homines docti, velut Heynius Observ. ad Apollod. p. 222, Bernhardy Eratosth. p. 175 sq., L. Dindorfius in Thes. Gr. L. vol. 7 p. 172 B. docuit nos per quem unum hos versus accepimus Eutocius locum et augendum fuisse et aliter scribendum:

μικρόν γ' ἔλεξας βασιλικοῦ σηκὸν τάφου·
διπλάσιος ἔστω τοῦ καλοῦ δὲ μὴ σφακίς
δίπλαζ' ἕκαστον κῶλον ἐν τάχει τάφου.